

CASUS LXVII. Petronius desponsatus Franciscæ viduæ comperit, eam post mortem primi mariti fornicatam fuisse cum Titio; quapropter cogitat rescindere sponsalia. Licetne hoc?

ꝛ. Licet, siue dein ante, siue post sponsalia cum Petronio inita Franciscæ peccaverit; quia promissio sponsalitia non amplius obligat, si postea ab alterutro sponсорum vel committatur, vel commissum detegatur probrosum crimen, quo cognito promissio sponsalitia non fuisset facta, prout accidit in hoc casu. C. B.

CASUS LXVIII. Thadæus, postquam valide contraxit sponsalia cum Berta, nova init cum Theresia, eaque juramento confirmat. An priora sponsalia annullantur per posteriora?

ꝛ. Non annullantur; nam secunda sponsalia fuerunt illicita simul & invalida, nec juramento confirmari potuerunt; cum juramentum nunquam possit esse vinculum iniquitatis. C. B.

CASUS LXIX. Titius init sponsalia cum Berta sub hac conditione, si patris sui consensum obtinuerit intra annum; ast pater moritur, antequam consensus ipsius fuerit requisitus.

ꝛ. Sponsalia hæc sunt valida in foro conscientiæ. Ratio est; quia conditio hæc tantum fuit adjecta ex metu offendendi patrem; eo autem mortuo cessat motivum additæ conditionis, quæ jam purificata censetur. Consequenter hæc sponsalia integrum vigorem suum retinent, ac si essent absolute contracta. C. B.

CASUS LXX. Lælius contractis sponsalibus cum Cassia sub hac conditione: *Si Papa dispensaverit in impedimento dirimente*, pendente adhuc conditione invenit aliam puellam Cassia pulchriorem ac ditiores, & cum ea init matrimonium, relicta Cassia. Peccavitne?

ꝛ. Probabilius peccavit; quia, cum conditio apposita sponsalibus cum Cassia esset honesta, ejusque impletio de jure possibilis, Cassia jure potuit exigere a Lælio, ut per rationabile temporis spatium expectaret, donec scilicet posset peti ac obtineri Romæ dispensatio, eaque obtenta & sic conditio effectum suum sortita promissum matrimonium exequeretur. C. B.

Nota. Si Cassia sit iuste & graviter invita, certum est, Lælium graviter peccasse.

Vide Dispensatio. Donatio. Fornicatio. Impedimenta matrimonii in genere.

SPURIUS.

Spurii in sensu lato dicuntur omnes, qui extra legitimum matrimonium nati sunt. Alii sunt *adulterini*, qui ex adulterio simplici vel duplici procreantur; alii *incestuosi*, qui ex personis cognationis vel affinitatis vinculo irretitis nascuntur; alii demum *sacrilegi*, qui ex persona vel personis specialiter Deo sacratis prodeunt; & hi omnes proprie dicuntur spurii, nec unquam possunt legitimari, suntque inhabiles ad omnia Beneficia & dignitates ecclesiasticas, nisi a Papa dispensationem obtinuerint.

CASUS. Titius Prior commendatitius in favorem filii sui spurii in Curia Romana obtinuit dispensationem, qua hic capax efficitur ad possidenda quæcumque Beneficia, quorum redditus 500. florenos non excedunt, exceptis solum iis, quæ pater ipsius possidet. Pater his non obstantibus suum illi Prioratum resignat. Num licite? An filius, qui super hoc Beneficio litteras provisorias Roma jam accepit, potest permutare hoc jus, quod præterdit ad Beneficium? Num simoniam committeret, si sibi procuraret aliud Beneficium, ejusque Titulari affecuraret Beneficium sibi a patre resignatum?

ꝛ. Titius sine nova dispensatione priori clausulæ derogante non potest filio suo Prioratum resignare; neque filius permutare potest jus, quod præterdit, utpote nullum. Demum certo committeretur simonia, si tali modo filius sibi procuraret aliud Beneficium. *Fromageau.*

Vide Beneficiatus. Beneficium. Hæres. Illegitimus.

STIPENDIUM MILITARE.

1. Exhortatio, quam narrante Evangelii textu olim ad milites habuit S. Joannes Baptista, satis demonstrat, militiam professos a regno Dei non excludi; potestque ea exhortatio applicari non tantum militi gregario, sed etiam præfectis militiæ ac officialibus: nempe tam isti quam illi contenti esse debent suis stipendiis, quæ a Principe percipiunt. Excubiarum Præfecto non licet, sub quovis prætextu negare vel differre stipendia militibus, & interea moras ex moris necessando in lucrum suum vertere pecunias unice ad hoc destinatas, ut distribuantur inter milites tempore a legibus & consuetudine definito. Injustissimus est hic agendi modus; tepescit & languet miles in militiæ muniis rite obeundis, si

stipendia ultra tempus consuetum differantur, indeque prætextus captant plerique quavis data occasione vexilla sua & militiam deserendi, aut omnino ad hostes transfugiendi.

2. Capitanei vel Centuriones, qui, dum legiones recensentur, integras non habent suas centurias; & hinc, ut suum faciunt supremo copiarum Imperatori vel Principi, milites suppositos immiscent, fures sunt ærarii Principis, si in stipendiorum distributione plenum accipiant æs militare, ac si completas habuissent suas centurias.

3. Copiarum duces in militari itinere constituti, qui ab annonæ castrensis procuratore vel in parata pecunia vel commeatuum portionibus jus transitus vel mansionis exigunt pro majore militum numero, quam secum ducunt, pariter injuste defraudant ærarium Principis sui; quod quidem duobus modis potest contingere, vel nempe militum suorum numerum contra veritatem augendo, vel secum ducendo milites extraneos & adscriptos res ipsa ad se non pertinentes, pro quibus tamen commeatum exigunt, ac si vera legionum & centuriarum suarum membra essent aut supplementa.

4. Tandem vero officiales bellici, qui stipendia retinent suis militibus, furtum in signe committunt, & thesaurum iniquitatis sibi coacervant.

CASUS. Milites quandoque extra mansiones suas, maxime tempore hybernorum variis artibus & labori manuum vacant. Possuntne Capitanei ipsis retinere vel subtrahere stipendium sub eo prætextu, quod lucrum ipsis proveniens ex hisce laboribus multum superet stipendium militare?

ꝛ. Absque summa injustitia id fieri non potest; tenenturque ejusmodi officiales ad plenissimam restitutionem omnium, quæ hactenus retinuerunt: & si nolint se se subicere oneri restitutionis, non sunt absolvendi. *Fromageau.*

STRUMA.

Struma est affectus corporis consistens in tumore circa partes colli glandulosas, qui plerumque exoritur ex usu aquæ vividioris aut nimium frigidæ; valdeque communis est in Hispania & Comitatu Tyrolensi. Regi Franciæ speciale a Deo donum concessum creditur curandi strumas. Rex Angliæ quoque vi juris chimerici in regnum Galliæ hoc sibi donum arrogat; sed in effectu illud monstrare non præsumit.

CASUS I. Tiburtius ex eodem matrimonio continua serie septem genuit filios, quorum septimus, Marcellus nomine

ne, factus est presbyter. Communis opinio, hunc habere donum sanandi strumas, eoquod esset septimus, effecit, ut ex tota vicinia hoc malo affecti catervatim accurrerent, per ipsius contactum & benedictionem a malo se liberandos ratum. An nulla hic intervenit superstitio?

ꝛ. Hæc praxis est manifestus abusus: ex eo enim, quod sit filius septimus, nec a natura habet hoc donum, nec ex virtute supernaturali. Et hinc est mera superstitio popularis, quam penitus extirpare oportet. *Pontas.*

CASUS II. Catullus ultra sexennium struma gravatus percipit, Regem Galliæ posse strumas curare. Cum multis igitur aliis hoc malo affectis Regem adit; & re ipsa curatus est per contactum regium factum cum quorundam verborum pronuntiatione. An nulla intercedit superstitio?

ꝛ. Curatio hæc absque omni superstitione aut abusu facta est: Rex Galliæ enim vere hoc gaudet dono ex virtute unctionis sacræ, quæ in ejusdem coronatione peragitur, ut plures graves Authores, & testes oculati id confirmant. *Pontas.*

SUFFRAGIUM CAPITULARE.

Agitur in hoc articulo de jure Religiosi capitularis vocem suam manifestandi in Capitulo, ubi id rei gravitas, jus commune aut constitutiones Ordinis vel monasterii exigunt, quod maxime fit in scrutinio; & circa hoc omnibus suffragii jure gaudentibus plena libertas esse debet.

CASUS. Castalon Religiosus utroque oculo cæcus est. Gaudetne nihilominus jure suffragandi in electionibus & receptionibus Candidatorum, aliisque negotiis capitularibus?

ꝛ. Omnino gaudet hoc jure, eoque privari non potest; & hinc omnia ipsi procuranda media, ut secure ac libere suffragium suum dare possit: tutius tamen foret pro conscientia ipsius, si ipsemet ultro renunciaret juri suo, cum facile decipi possit. Idem dicendum de Moniali eodem defectu laborante. *Fromageau.*

SUPERIOR.

I. Agitur hic de Superiore Regularium, qui ita inter suos conversari debet, ut Christus conversatus est suos inter discipulos, sicque fratrum suorum perfectioni ac saluti studere, ut Christus de discipulorum suorum sanctificatione erat sollicitus; cujus nempe actiones in omnibus suis operibus exprimere debet, & ut ita dicam, efficere, ut invisibilis

Pastor fiat visibilis in sua, qua monasterium regit, sedulitate, exactitudine, discretione ac pietate. Hinc oportet, ut Superioris vivendi ratio sit adeo exacta, ac ab eo regulæ observantia tam accurate adimpleatur, ut exinde fratres subditi normam ac regulam obligationum suarum possint ediscere. Præterea studeat, ut ad Superioris dignitatem effectus semper in mente teneat verba Spiritus sancti Eccli. 32. v. 1. *Rectorem te posuerunt, noli extolli: esto in illis quasi unus ex ipsis.*

2. Denique Superioris est, ut fratribus suis in omnibus observantis communibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in operibus etiam humillimis & abjectissimis nunquam non se locum præbeat, eandemque, ac cæteri, austeritatem in victu, eandem in vestitu simplicitatem teneat, ac in id solum intendat, ut sola virtute & dignis sublimitate ministerii sui actionibus ab aliis sese distinguat.

3. Hinc facile intellectu est, quantum intersit, ut indignis semper rejectis nunquam non vici idonei eligantur, qui prima in communitatibus regularibus subfella occurrent.

CASUS I. Laërtius Religiosus impudice cum femina conversatus est, id quod omnibus in tota communitate notum; culpam tamen suam coram universo Capitulo confessus est, egitque poenitentiam, ita ut penitus emendatus videatur. Potestne jam ad officium Superioris assumi?

3. Nec in sua, nec in alia communitate aliis præfieri potest; et si veram de peccato suo poenitentiam egerit: quoad vixerit, ad omnem dignitatem inhabilis censendus est. *De Lamet. Vide Religiosus, cap. 64.*

CASUS II. Antiqua consuetudo est in quodam monasterio Mendicantium, ut Superiores honoraria, quæ ex habitis concionibus percipiunt, sibimet ipsis pro suo arbitrio applicent, nec ea ad massam communitatis referant. Num licite?

3. Nec Superior, nec Religiosus privatus ejusmodi honorarium sibi retinere, & ad usus arbitrarios convertere potest; cum monasterium illis victum & vestitum præbeat. Ejusmodi pecuniae in communem massam monasterii conferri, & ad eorum, ad quos spectat, nutum applicari debent. *Clemens VIII. Constit. 40. anno 1599. sic statuit: Quo Tridentini Concilii decreta de paupertatis voto custodiendo fidelius observentur, præcipitur, ut nullus ex fratribus, etiamsi Superior sit, proventus, census, elemosynas sive ex concionibus, sive ex lectionibus; aut pro missis tam in propria ecclesia quam ubique celebrandis, alioue ipsorum justa labore & causa, & quocumque nomine acquisita, tanquam propria, aut etiam nomi-*

mi ne

mine conventus possidere possit; sed omnia statim Superioribus tradantur, conventuique incorporentur; atque cum cæteris illius bonis, redditibus, pecuniis ac proventibus confundantur, quo communis inde victus & vestitus omnibus suppeditari possit. *Fromageau.*

NOTA. Author videtur loqui de honorariis perceptis ob conciones quadragesimales in urbibus majoribus habitas. Inspicienda est hæc in re laudabilis consuetudo Ordinum & monasteriorum circa pecuniam privatum, habita etiam ratione diversitatis Ordinum. *Vide Paupertas religiosa. Religiosus.*

SUPERSTITIO.

1. In veteri testamento nunquam leguntur hæc verba, *Superstitio aut Superstitiosus*; in novo vero pluribus in locis occurrunt. Juxta S. Thomam *Superstitio est vitium secundum excessum religioni oppositum, eoquod cultum adferat vel ei, cui non oportet, vel eo modo, quo non oportet.* Dividitur autem ordinarie superstitio in idololatriam, divinationem, vanam observantiam & magiam.

2. *Idololatria* est cultus divinus exhibitus creature, quæ ut Deus habetur, & *Idolum* dicitur. Idololatria hæc potest esse externa vel interna, vel externa & interna simul; qualiscumque autem sit, semper est peccatum mortale.

3. *Divinatio* est futurorum contingentium, id est, provenientium a causa indeterminata prædictio; & solet dividi in plures species, ut per decursum hujus articuli patebit.

4. *Vana observantia* est eventus fortuiti superstitiosa consideratio, mediive inefficacis adhibitio ad consequendum certum effectum. Quamvis hæc superstitionis species ex natura sua sit peccatum mortale, potest tamen quandoque esse solum veniale ex defectu advertentiæ sufficientis, ob simplicitatem, bonam fidem aut ignorantiam tantum leviter culpabilem illius, qui eam adhibet; ut si v.g. miles ex ignorantia assidue gestaret aliquod scapulare, eoquod alii asseveraverint, se nunquam vulnerandum, quamdiu id gestaret, aut certe vulneratum non moriturum absque confessione.

5. *Magia* denique superstitiosa est ratio operandi mira ope demonis per signa ab eo instituta, vel invocatio demonis expressa vel implicita ad miri operis patratiorem.

6. Superstitio igitur duo habet objecta sibi invicem secundum quid advertentia, cultum scilicet falsi Dei, & cultum veri Dei modo indebito, seu divino instituto rationique dissentaneo; & de hoc posteriori cultu hic sermo erit.

7. Et iste cultus vel est falsus vel superfluous. Prior a Theologis desinitur, quod sit veri Dei cultus non verus; quia falsus

sus est vel *in se*, ut si sub prætextu honorandi Deum, aut ejus cultum dilatandi falsa confingantur miracula; vel quia falsus est *in sua significatione*, ut si veteres Judæarum ceremoniarum ritus observentur: utroque modo semper peccatur mortaliter. Posterior sen cultus superfluous definitur, *veri Dei cultus ab illius instituto alienus*, id est, contra consuetudinem, doctrinam & mentem Ecclesiæ assumptus, ut esset v. g. oratio certis diebus, horis determinatis, corpore ad occidentem vel orientem verso, ac in fixo numero, aut de die aut nocte, domi vel sub dlo peragenda &c.

8. Generatim loquendo primum Decalogi præceptum prohibet omnes superstitiones, cujuscumque sint generis. *Omnes superstitiones*, ait S. Thomas, *intelliguntur prohiberi in hoc quod dicitur; non habebis deos alienos coram me*: omnis enim superstitio necessario continet pactum saltem implicitum aut tacitum cum dæmone.

CASUS I. Florentius parochus antiquam secutus consuetudinem a suis jam prædecessoribus, & aliis vicinis parochis in praxin deductam imprimere solet clavem suæ ecclesiæ divo Petro sacræ ignitam capitibus boum, canum & aliorum animalium; & hoc ideo, ut a rabie præserventur. An hic usus superstitiosus est?

ꝑ. Redolet certe superstitionem; nam quo fundamento dici potest, clavem ecclesiæ S. Petri majorem habere virtutem præservandi a rabie quam clavem ecclesiæ S. Pauli, aut alterius Sancti? Dein supposita hac virtute, cur clavis potius ignita quam non ignita hac pollet virtute? Certe Florentius bene ageret, si talem consuetudinem aboleret, si id absque scandalo facere potest, consulto tamen prius suo Episcopo. Quod si eam abolere non possit propter obstinationem populi, consuetudini huic pertinaciter insistentis, eam absque peccato tolerari posse videtur, usquedum aliud statuerit Ecclesia. Illi, qui bona fide aut ex simplicitate talem consuetudinem sequuntur, non peccant mortaliter; cum talis devotio adhibendi clavem ecclesiæ S. Petri sit quidem cultus superfluous, non tamen stricte loquendo vera superstitio. Pontas.

NOTA. Redolere superstitionem dicitur, quod vim tribuit ceremoniis ab Ecclesia nec institutis, nec positive approbatis, sed tantum toleratis ob traditiones populares circa earum originem sacram, quamvis judicio peritorum probabilius falsam.

CASUS II. Valentinus, qui pro viro singularis pietatis habetur, plures sanavit infirmos recitando super eos Evangelium

gellum S. Joannis: *In principio &c.* & quinque Pater & Ave cum aliis quibusdam precibus. An propterea superstitionis reus est?

ꝑ. Si Valentinus in suis precibus aliam intentionem non habet, quam ut Deo exhibeatur cultus ipsi debitus, ac solum de ipsius bonitate impetrare speret sanitatem iis, pro quibus orat, superstitionem non committit. Si vero potius ex his quam aliis precibus, aut ex determinato precum numero effectum expectat, majorem vel minorem orationum numerum ad effectum consequendum inutilem existimans, a superstitione excusari non potest. Generaliter loquendo formulæ precum privatarum & particularium valde suspectæ sunt, si iis potius quam aliis effectus alligatus esse credatur; maxime si non sint approbatæ ab Ecclesia. *Etiã proferre verba divina*, ait S. Thomas 2. 2. q. 96. art. 4. ad 1. *aut invocare divinum nomen, si respectus habeatur solum ad Dei reverentiam, a qua expellatur effectus, licitum erit: si vero habeatur respectus ad aliquid aliud vane observatum, erit illicitum.* Pontas.

NOTA. Indubitato pro superstitionis habendæ sunt preces determinato numero vel ritu peragenda in ordine ad certum effectum obtinendum, nisi ille numerus vel ritus significandæ rei sacræ causa fuerit institutus vel approbatus a Papa, vel Synodo Episcoporum, vel ab Ordinario.

CASUS III. Nicephorus miles secuturus exercitum, inscribi procuravit albo cujusdam confraternitatis, persuasum habens, omnes signum dicitæ confraternitatis portantes & quinque Pater & Ave quotidie recitantes infallibiliter obtenturos gratiam, absque confessione non moriendi. An superstitiosum hoc?

ꝑ. Haud dubie ob hanc falsam persuasionem superstitionis reus est: licet enim confratrum usus signum confraternitatis portandi laudabilis ac pius sit, cum per hoc aliud non intendant, quam ut per signum externum devotionem internam denotent, ac per illud admoneantur sui propositi, recitandi preces quasdam privatas, aut aliud pietatis opus peragendi; certe tamen erroneum est, si quis existimet, id esse infallibile medium non moriendi sine prævia confessione. Privilegium hoc pure imaginarium nec fundatur in promissione divina, nec in doctrina alicujus Sancti aut Doctoris orthodoxi; nec ejus concessio est in potestate Papæ vel Ecclesiæ, sed solius Dei, Domini vitæ ac mortis. Pontas.

CASUS IV. Mirocles & Irenæus per varias curationes morborum, ille in hominibus, hic in animalibus, magnam

sibi famam conciliarunt. Mirocles contra febrem maxime, colicam & dolorem dentium arcana possidet remedia. Sic febrem per trinam applicationem herbæ ejusdam ad carpum manus, interposito semper ab una applicatione ad alteram unius horæ intervallo. Colicæ medetur per pronuntiationem quorundam verborum ex idiomate peregrino. Dolorem dentium denique sedat per alium dentem alteri homini ob similes dolores evulsam. Irenæus ejusdem furfuris remediis curat morbos varios variorum pecorum. Ambo dicunt, se ea secreta remedia accepisse a suis parentibus jam mortuis, eaque se applicare pauperibus in vicinia optima intentione, ex motivo misericordiæ, & plerumque gratis. Parochus nihilominus id genus curationes taciti cum dæmone pacti effectus esse suspicatur. Quid sentiendum hac in re?

β. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 96. art. 2. ad 1. licet applicare res naturales, si quis credat in iis latere virtutem naturalem producendi certos effectus, nec interveniat alia prava intentio. Si itaque Mirocles credit, herbam applicatam habere virtutem pellendi febrem, non peccat per ejus applicationem. Si vero adduntur varii characteres, figuræ, verba aut alia vana signa, de quibus constat, quod non habeant virtutem naturalem cooperandi ad effectum intentum, eo ipso committitur superstitio. Et hoc re ipsa contingit in secunda ac tertia curatione: quam enim naturalem connexionem cum collica habent peregrina verba, quibus tantam vim tribuit sub falsa specie adjectæ orationis Dominicæ? Et quam virtutem habeat dens morbidus ad sanandum alium? Hæc itaque sunt manifeste superstitiosæ; quia non sunt media proportionata ad effectum. Ita docent S. Basilius in psal. 45. S. Augustinus L. 2. de Doct. Christi. c. 20. seu n. 30. & S. Thomas l. c. Consequenter, dum parochus hujusmodi curationes tam hominum quam pecorum morbidorum superstitutionis arguit, & condemnat, agit, ut Concilium tolosanum anno 1590. hab. tum part. 4. c. 12. n. 5. omnibus parochis, concionatoribus & confessariis agendum præcipit. Huc pertinent superstitiosæ observationes dierum faustorum & infaustorum, ut v. g. 1. Dum ancillæ nolunt mutare servitium suum die veneris. 2. Dum pro certo anni tempore bona vel mala tempestas futura judicatur ex eo, quod dies ejusdam Sancti fuerit serena aut pluvia. 3. Dum matrimonia die veneris contracta creduntur infelicia. 4. Dum unus ex accumbentibus ad mensam eo anno creditur moriturus, si affideant tredecim. 5. Dum existimatur, prolem fore fortunatam, quæ prodiit ex utero capite tenui pellicula operto: unde apud Gallos ad designandam ejusdam fortunam est in

pro-

proverbio: *il est né coiffé*. 6. Dum illum in pristinam ægritudinem relapsurum timetur, qui reconvalecens prima vice domo egreditur die veneris. 7. Dum quibusdam herbis tanta virtus haud inesse existimatur, si non colligantur in festo nativitatis S. Joannis Baptistæ. 8. Dum iter non suscipiendum esse eo die, quo orta est tempestas, aut quo luna in hoc vel illo situ conspicitur, aut denique vineas plantandas non esse creditur anno bissextili &c. Totum hoc, ait S. Augustinus L. 10. de Civit. Dei. c. 11. ad dæmones pertinet, iustificatores animarum sibi subditarum, & voluptuaria sibi ludibria de hominum erroribus exhibentes. Pontas.

CASUS V. Chrysofomus morsus a cane, qui existimabatur esse rabidus, petiit a parochio panem benedictum; quia audierat, eum cum devotione interna comestum præservare a rabie. Licetene dari potuit in hunc finem? Num etiam oviculæ ab eodem cane morsæ panis benedictus comedendus præberi potest?

β. Licite a parochio dari, & a Chrysofomo comedi potuit panis benedictus in finem memoratum; quia non solum conducit ad salutem animæ, sed etiam corporis, ut ex ipsa benedictionis formula constat, cujus verba sunt: *ut omnes ex eo gustantes, inde corporis & animæ percipiant sanitatem, ut sit omnibus sumentibus salus mentis & corporis, atque contra morbos & universas inimicorum insidias tutamentum*. Non licet autem benedictum panem dare brutis juxta S. Beuve Tom. 2. Caf. 12.; quia benedictio Ecclesiæ non ordinatur in hunc usum. Pontas.

NOTA. Quando prudenter dubitari potest, an non in morbis pecorum interveniat maleficium ex operatione dæmonis, recte dantur etiam animantibus res benedictæ; quia ad hunc effectum per Ecclesiæ preces obtinendum ordinantur, & jubentur sensibilibus ad captum populi applicari ab Ecclesia.

CASUS VI. Quintinus nauta videns delphinos in maris superficie ludentes aguratur, gravem brevi exorituram tempestatem. Et Euphemius agricola media nocte audiens canem ante jannæ domus suæ ululantem, & corvum crocitantem, prædicat, quempiam ex suis domesticis aut vicinis brevi moriturum. Suntne ejusmodi divinationes superstitiosæ?

β. Prælagium Quintini nullatenus est superstitiosum: fundatur enim in ordine naturæ a Deo constituto; & omnes in mari navigantes ab experientia sciunt, quando delphini ludunt, orituram tempestatem. Ejusmodi divinationum exempla ipsa scriptura nobis suppeditat Jerem. 8. v. 7. ubi dicitur: *Milvus in caelo cognovit tempus suum; turtur, & hirundo, &*

dico-

iconia custodierunt tempus adventus sui. Auguria hæc sunt naturalia. Divinatio autem Euphemii certe est superstitiosa, & pertinet inter insanas imaginationes hominum impiorum, ac reliquias gentilismi: quænam enim connexio inter ululatum caninum aut crocitantem corvinam & inter mortem hominis, quæ a solo pendet nutu divino? *Pontas.*

CASUS VII. Placidia devotioni erga B. Virginem specialiter addicta, eo tempore, quo SS. Sacramentum publicæ in ecclesia fidelium adorationi exponitur, plerumque in sacellum ejusdem ecclesiæ se recipit, ac coram imagine B. Virginis, quæ miraculosa dicitur, preces suas fundit. An non hæc devotio quamdam superstitutionis speciem præferat?

R. Si Placidia B. Virginem colat solum ut advocatam potentissimam, quæ plurimum valet apud Christum filium suum, non potest superstitutionis argui; cum ipsius devotio sit orthodoxa. Si vero plus confidentiæ ponat in B. Virgine, ac in ipso Christo dispensatore gratiarum, eamque Christo potentior credat, superstitiose utique ac pessime ageret. *Pontas.*

CASUS VIII. Sunt quædam personæ de simplici plebecula, quæ collo appensa gestant amuleta, seu sacculos, in quibus continentur ruta benedicta, initium Evangelii S. Joannis in charta pergamena scriptum, non sine multis ac discoloribus crucibus, particula cerei paschalis, fragmentum Corporalis ad missam jam adhibiti &c.; & hisce rebus specialem inesse virtutem asserunt contra maleficia & veneficia; commendaturque earum usus in pluribus libris desuper editis. An nulla in ejusmodi usu superstitio intervenit?

R. Communi Theologorum sententia usus ejusmodi amuletorum superstitiosus est ac graviter peccaminosus, nisi excuset ignorantia aut bona fides, quæ in simplici plebe facile intervenit, dum viros cæteroquin pios ac religiosos hujusmodi amuleti patrocinari videt. Libri talia amuleta eorumque usum commendantes, ut summe perniciosi proscribendi ac interdiciendi sunt. *Formageau.*

NOTA. Corporalia in demones, utpote spiritus, naturali virtute non agere, in sana philosophia ac theologia exploratum est. Plures libros operationibus demonum nimium tribuentes, & ab iis se præservandi, aut eas abigendi media præscribentes etiam benedicta, v. g. Hieronymi Mengi *flagellum demonum. Fustis demonum. Compendio dell' Arte Efforcifica, e possibilità delle mirabili & stupende operazioni de' demoni* ab Ecclesia proscriptos esse, ex indice librorum prohibitorum constat. Omnes Benedictiones non approbatas a sacra Rituum congregatione, nec contentas in Rituali Romano aut diocesano esse prohibitas, certum est. Ecclesiam denique fidelibus abunde suppeditare in singulis diocæsiibus ac parochiis res benedictas, ut aquam, vinum; salem, ceram, panem, herbas &c. quæ emergente casu ac exigentibus circumstantiis usui esse possint; nec privatos

vatos quoscumque demum efficacioribus benedictionem imperitari posse ac universalem Ecclesiam, pariter indubitatum est. Quid sequitur exinde? Id sequitur, quod monopolium circa res benedictas, ac benedictiones privatorum a communi Ecclesiæ usu ac consuetudine recedentes merito suspectum esse debeat, ne quid amplius dicam; cum vergat non solum in despectum universalis Ecclesiæ, utpote non cuilibet suorum fidelium tam liberaliter providentis, sed & in vilipensionem Episcoporum, parochorum ac ecclesiarum parochialium, dum falsam ac superstitiosam in plebe opinionem fovet, ac si major prærogativa & plus potestatis concessum sit coepiis subsidiariis, ac ipsis primariis gregis custodibus a Christo & Ecclesia institutis.

CASUS IX. Deferuntur a nundinatoribus ac inter plebem distribuuntur sine scientia Episcopi variæ precandi formulæ omni approbatione destitutæ, quibus mira sanandi & ab omnibus malis præservandi vis adscribitur. An non inter superstitiosa pertinent?

R. Non licet absque approbatione ac licentia Episcopi inter plebem spargere novas precandi formulas, sive scriptas sive impressas; cum persæpe concurrere solent deceptiones populi per falsas promissiones gratiarum tam naturalium quam supernaturalium, confictas indulgentias &c. Si quis ejusmodi precatunculis uteretur cum firma persuasione, se infallibiliter fore sanandum aut præservandum a malo, manifeste in superstitutionem committeret. Si diceretur oratio Dominica, inquit Sayrus L. 4. c. 6. n. 8. cum hac firma spe, quod prius revelabitur hora mortis, quod scientia divinitus infunderetur, quod inimici nocere non poterunt, esset superstitiosum. *Fromageau.*

NOTA. Superstitio non consistit solum in eo, quod orationi determinatis verbis adstrictæ tribuatur infallibilis vis; sed in eo etiam, quod tribuatur ulla vel minima vis: stultum enim, & religioni nostræ probrosum est, credere, Deum vel Sanctos circa preces vim determinatis verbis adscripsisse.

CASUS X. Terentius recusat interesse convivio, ad quod tredecim convivas accumbere videt; quia nimirum timet, ne unus horum convivarum eodem anno moriturus sit.

R. Si timor Terentii nititur persuasionem certa de futura morte alicujus convivarum, peccat graviter peccato superstitutionis: superstitiosum enim est, timere quidquam eventurum a causa, quæ ad talem effectum producendum inutilis est ex sua natura, nec etiam a Deo virtutem procurandi hunc effectum obtinuit. Si vero timor Terentii fundatur solum in levi aliqua credulitate, non peccat graviter. C. B.

NOTA. Etiam levis timor vel credulitas pertinet ad genus superstitutionis. Sed in hoc genere, sicut in hæresi, ad quam reducenda est super-

superstitio, non datur objective parvitas materiae, sed tantum subjective ob indeliberationem actus.

SURDUS ET MUTUS.

1. Dantur duplicis generis *furdi*; quidam enim omnino sensu auditus carent, quidam vero audiunt, si illis alta voce loquamur, aut mediante aliquo instrumento auribus applicato. Datur etiam *furditas* spiritualis, de qua Psal. 35. v. 3. dicitur: *nohuit intelligere, ut bene ageret.* Hic de *furditate* solum corporali fermo erit.

2. *Vex mutus* derivatur a verbo *mutire*: dum enim muti sensu animi sui per locutionem exprimere tentant, plerumque eructant has syllabas *mu-mut*. Elucescet ex dicendis in hoc articulo, quod Ecclesia *furdos* & *mutos* non excludat a participatione Sacramentorum ad salutem necessariorum.

CASUS I. Pamphilus, a natiuitate *furdus* & *mutus*, cum periculose decumberet, parentes illius illico advocant parochum, ut moribundum absolvat. Parochus vero, cum perbene nosset, sine fide neminem salvari, & Pamphilum non potuisse sufficienter instrui de mysteriis fidei, dubitat, an absolvere debeat moribundum, aut omnino sacrum eidem viaticum ministrare.

R. Verum quidem est, adultum salvari non posse sine vera fide; dici tamen potest, conformiter ad principia D. Thomae q. 14. de verit. art. 11. de fide. ad 1. *furdos* simul & *mutos* a natiuitate obtinere a Deo donum fidei, si vivant juxta regulas rectae rationis & luminis naturalis, ac insuper non extinguant in animo, aut suffocent desideria a Deo inspirata ad quaerendam instructionem. Hinc si Pamphilus est baptizatus, & edidit indicia exteriora fidei v. g. vivendo more catholico, assistendo cum omni modestia ac reverentia divino officio, parochus absque omni temeritate poterit credere, eum de fide fuisse instructum per operationem divinam, vel per ministerium Angelorum; ac consequenter deneganda ipsi non est absolutio, maxime si prodatur aliquod signum poenitentiae; immo nec SS. viaticum denegandum erit juxta Authorem *Conferentiarum Petrocoriensium* Tom. 4. Conf. 1. q. 1. & S. Beuve Tom. 2. Caf. 10. 95. & 151. ac Tom. 3. Caf. 17. si exhibeat quaedam indicia adorationis ac reverentiae erga augustissimum hoc mysterium, & ex signis colligi possit, quod discernat inter cibum hunc spirituales & materiales. Primis Ecclesiae sacculis ad Eucharistiam admittebantur etiam infantes ex uberibus matrum pendentes; & hodie adhuc viaticum ministratur adultis moribundis, si id petierint prius, quamvis jam amiserint usum

usum rationis, dummodo absque periculo irreverentiae fieri possit. *Pontas.*

NOTA. *Surdus* & simul *mutus* a natiuitate non potest absque miraculo sufficienter esse instructus de Sacramento Poenitentiae & Eucharistiae, nisi sub ratione generica signi sacri seu mysterii. Hinc, quia valde dubium est, an ista generica notitia sit sufficiens dispositio ad recipiendum fructum Sacramenti, Eucharistia ipsi nec publice nec privatim, absolutio autem solum privatim, sub conditione, si capax es, concedenda est.

CASUS II. Clodius parochus habet in sua parochia juvenem *furdum* simul & *mutum*, de cujus salute nullam omnino curam gerit; eo quod illum omnis instructionis ac doctrinae incapacem existimet. An non peccat parochus?

R. Absque dubio gravissime peccat parochus: nam homo, etsi *furdus* & *mutus* a natiuitate, sufficienter instrui potest de essentialibus fidei veritatibus per varia signa, quae habent relationem ad illas, & per imagines mysteria Religionis exhibentes. Videntur autem praeter alia ad hoc conducere imagines representantes. 1. Creationem hominis. 2. Natiuitatem Christi. 3. Adorationem pastorum & magerum. 4. Praecipua miracula Christi. 5. Institutionem Eucharistiae. 6. Praecipuas circumstantias passionis Christi & crucifixionis. 7. Resurrectionem. 8. Et ascensionem. 9. Missionem Spiritus sancti. 10. Quatuor novissima. Si haec imagines proponantur seorsim ac successive, & ad singulas exprimantur convenientes affectus v. g. adorationis, reverentiae, timoris, gaudii, doloris &c. certe imprimunt aliquam ideam ac notitiam Religionis cooperante Dei gratia, quae in hujusmodi circumstantiis nunquam deest. Sic sentit & Author *Conferentiarum Andegavensium* mense Jul. 1704. *Pontas.*

SUSPENSIO.

1. *Suspensio* est censura Ecclesiastica, qua ob grave crimen Clericus privatur exercitio Ordinis & Officii, administratione Beneficii, & possessione aut perceptione fructuum Beneficii in toto vel ex parte, ad certum tempus vel pro semper. Triplex igitur datur *suspensio*, nimirum ab *Ordine*, ab *Officio*, & a *Beneficio*. Prima privat functionibus actualibus *Ordinum* receptorum. Secunda privat exercitio jurisdictionis, & omnibus functionibus ratione Beneficii, vel muneris ecclesiastici obeundis. Tertia privat fructibus, qualescunque sint, & a iis commodis Beneficii. Haec triplex *suspensio* potest simul in *figi* per sententiam Superioris, & tunc vocatur *totalis*; alias *dici*,